

horrendum quo mundus totus nimium proprat! Omnia ad hoc praelium inservire fiunt, omni armorum genere utitur, omnium conditionum homines vocantur. Sic enim ex locis theologicis, ex naturalibus scientiis et artibus, ex historia et chronologia, ex politicorum disciplinis passim argumenta, seu potius sophismata eruuntur. Adulatio, mendacium, calumnia, divitiae, nimis turpis licentia, metus vi armorum aut pœnarum incussus, nihil non molitur ad errorem incutiendum. Praeterea, ad hanc exitialem pugnam et potentes et debiles, divites et pauperes, sapientes et ignari, haeretici et etiam catholici, sclestissimi homines, necnon *quis credet?* et pietatem profitentes, ii nimirum qui moderati nuncupantur, undequaque confluunt. Vere *fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania: astiterunt reges terrae et principes convene- runt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus dirumpamus, dicentes, vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* (1)

Quis atram hanc procellam profligabit? quis mundum sic corruentem levabit? Inclitus Pius IX, ipse enim iterum aperiet os suum, et magna tempestas sedabitur; Encyclicam *"Quanta cura,"* et Syllabum profert, et omnes hujus temporis corruunt errores, omnia dubia evanescunt, veri fideles in fide solidantur, eorumque conscientiae pacatè quiescunt.

Hac de causa omnes throni concutiuntur, universi fere reipublicae moderatores voce magna protestantur, feroceisque minas evomunt, pseudopolitici et philosophi vocati exurgunt

(1) *Psalm. III. 1. 2. 3.*

et vociferantur, societas secretae exacerbantur; ii omnes in magnum Pium nostrum impetum fecerunt unanimiter, et sua temporali potestate spoliaverunt, et vinctum tenuerunt. *Quidnam vero ex hoc nacti sunt? Vere cogitaverunt consilia quae non potuerunt stabilire.* (1) *Qui habitat in coeli- lis irridebit eos, et Dominus subsanabit eos.* (2) Magnus Pius, rupe fortior, immotus permanet, et cum vinci videbatur, ipse victor evasit. Mundum corruentem levabit.

Sed nondum satis. Mundum vacillantem sustinere adhuc necessum erat, et hoc ipse munus suscipiet. Duo problemata solvenda supererant: scilicet *Ecumenici Concilii congregatio nunc et in futurum estne possibilis?* Posita ejus impossibilitate, quae ferè ab omnibus tenebatur *quis fidei et morum quaestiones definit cum de Papa infallibilitate non constaret?* Ad primum, factum respondet, id est, Concilii Vaticani congregatio. Ad secundum, idem Vaticanum Concilium Papæ infallibilitatem definiens, indubium responsum firmat. Quod ergo impossibile fuerat existimatum, Pius IX possibile reddidit, et quod absque medela, satis provisum reliquit.

Nunc ergo et Syllabus, et quidquid Papa *ex cathedra* pronunciet, perpetuam et irrecusabilem stabilitatem accipiet. Alia Ecumenica concilia indicentur, vel non; nihil interest: malis supervenientibus Pontifex Summus obviā ibit, omnesque causas, appellatione remota, finem habebunt. Novi prodeant errores, veteres contumaces persistant; nec impunitus

(1) *Psalm. XX. 12.*

(2) *Psalm. II. 4.*

grassari in posterum, nec celeriter progredi poterunt, quin statim sucumbere compellantur: nulla enim jam hæsitatione dubium nullum cum sedens in Cathedra Petri fuerit loquutus.

Nec ideo in posterum Concilia Ecumenica inutilia dicantur; multa enim alia in Ecclesia Christi sive quoad disciplinam stabiliendam, sive quoad ipsa fidei dogmata et mores definiendos veniunt. Idcirco Pius IX, inductione Concilii possibilitatem ejus demonstravit, et Papæ infallibilitatem in eodem Concilio confirmans, in tuto collocavit Ecclesiam, promptum, securum et præsentissimum præsidium ipsi comparans. Sic ergo mundum vacillantem sustinuit.

Hucusque dicta, multis quidem omissis, ad mundum universum spectant; quid vero pro singulis mundi partibus Pius IX ipse gesserit, historiæ non brevis discursus munus erit. Liceat autem mihi ex iis quæ ad nos attinent, grati animi causa, duo tatum breviter memorare.

Philippi à Iesu martyris mexicani beatificatio, paulo post susceptum martyrium, locum habuerat, ejus vero canonizatio jam à ducentis et amplius annis desiderabatur. Toto hoc non brevi tempore Ecclesia mexicana nullis fere perturbationibus concussa, miti pace potiebatur, quæ medio nostro saeculo vix elapso, Deo permittente, turbata est. Tunc certè advocationum et, ut ita dicam, domesticum fortitudinis exemplum ob oculos habere, opportunum erat, quod Pius IX in sanctorum catalogo Philippi à Iesu magna solemnitate, et plusquam tercentorum Prælatorum concursu, inter quos septem numerabantur mexicani, nomen adscribens, apprime nobis aptavit. Ac

non multo post duos alios mexicanos martyres beatificavit; Concurso vere miranda, perturbatio mexicana et horum virorum sanctitatis declaratio!

Adhuc amplius. Pius IX quasi in supercilio sedens, omnia regna mundi continuò perspiciebat, ac de uniuscujusque necessitatibus admodum sollicitus, etiam remotissimas regiones sublevare in animo semper habebat. Quomodo ergo nostra infortunata Mexicus à sua munificentia fuisset aliena? Evidem, ab excenso Solio suo in hac vastissima mundi parte multam esse messem, operarios autem paucos aspiciens, quasdam digito suo lineas descripsit, quibus ecclesiasticam geographiam immutavit, novas metropolitanas et dioecesanás Ecclesiás instituendo, quibus statim selectos Pastores præfecit. Hujus pontificiae ordinationis uberes et prætiosos fructus quis non videt? Vere dici potest: venerunt nobis omnia bona pariter cum his duobus beneficiis à Pio IX collatis. Testimonium queritur? Exurge tu et loquere, nimis felix Civitas leonensis, et dic nobis quis te fecit habere patronam B. V. M. Matrem luminis nuncupatam? quis tibi Pastorem donavit Episcopum? quis in te sedem episcopalem constituit? quis hoc templum ad cathedralis Ecclesiæ fastigium evexit, in quo singulis diebus sine intermissione sacerdotum chorus Deo publicas et solemnes laudes persolvat? Unde hoc tibi, ut seminarium juxta mentem Tridentinorum Patrum haberes, ubi adolescentes à teneris annis ad pietatem et religionem informentur, atque ad sacerdotiale ministerium ritè obeundum instruantur et parentur? quis demum nos om-

nes tantis, tantisque muneribus ditavit? Pius IX, Pius magnus, magnus in bono, magnus in Ecclesia, sen in regno cœlorum, Pius magnus de cuius magnitudine omnes accepimus.

II

SED non modo magnus, etiam beatum esse dixi. Cum vero de ejus beatitudine loquor, non de illa quam mundus promittit, intelligi oportet. Mundus enim illum, qui divitiis afflit, qui multarum gentium dominatur, qui in deliciis volutatur, qui omnes suos inordinatos satiat appetitus, qui omne auctoritatis jugum excussit, et illum etiam qui dixit in corde suo "*non est Deus.*" beatum appellat. *Nefanda* equidem beatitudo! à permultis desiderata, modis omnibus quæsita, nunquam vero omnino posessa. Absit à nobis hanc viro tan probo, quamvis in culmine imperii positio tribuere.

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis (1) Ecce vere beatus, qui perfectam beatitudinem seu felicitatem, ut in hac vita haberi potest, solus potitur; ipse enim omnium est dominus, quicquid appetit obtinet, et in stabali pace vitam agit. *Quid amplius, ut beatus quis nominetur, desiderare libet?* Sed in primis, omnium est

(1) *Psam. CXI. 1.*

Dominus, qui Dei et universalem hominum delectionem in se allicit. Vir autem qui timet Dominum, et in lege Domini voluntas ejus, à Deo diligitur et Deus cum illo est, dicente Domino, *si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansio nem apud eum faciemus.* (1)

Sed non modo Dei, hominum etiam dilectionem in se concitat, cum de eo Sapiens dicat: *et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus.* (2) Evidem qui ingreditur sine macula et operatur justitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos..... qui jurat proximo suo et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit; qui facit haec, non movebitur in aeternum, (3) qui facit hæc indubitanter ab omnibus deamabitur, omnium dominabitur voluntatum, omnium dominus erit.

Sed universa hæc, et multo amplius, iⁿonne Pio IX aptanda veniunt? Hic est enim de quo uno verbo dici potest: "*operatus est justitiam,*" et ideo dilectus Deo et hominibus. Dei erga eum dilectionem satis demonstrat ejus præelectio ad tam præclarissimorum operum exequationem. Et revera, omnia quæ fecit iⁿonne Deum esse cum illo plane ostendunt? quod.

(1) *Ioann. XIV. 23.*

(2) *Prov. III. 4.*

(3) *Psalm XIV.*

nisi quia vir simplex et rectus fuerit, ac timens Deum, fieri non potuit.

Et de universali hominum erga eum dilectione *i*quid dicam? *i*quis unquam tam generali amore prosequutus est? Iam in primordio sui pontificatus notatu dignum fuit, quod fere omnium affectus, etiam inimicorum suorum, ad se trahebat, qui temporis decursu magis ac magis crescentes, tribulatione superveniente, terminum jam non habuerunt. Pius IX in vinculis constitutus vere omnia traxit ad se: noa enim solum, ut Petro vincto, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, sed ex omnibus terrae partibus copiosa ei mittebantur subsidia, et prope innumeras et inusitatias circa illum peregrinationes, amoris causa et veneracionis, quotidie fiebant. Quid simile a saeculo non est auditum. Beatus igitur vir, qui timens Deum factus est dilectus Deo et hominibus.

Non mirum ergo si quidquid appetit obtinet. Ardua quidem et miranda, ut vidimus et audivimus, conatus est: sed mundus totus quodam modo penes illum erat, ita ut ferè absque ejus imperio non movebat quisquam manum aut pedem in omni terra: duo decies enim centena millia catholiconrum ei subditi vocem ejus reverenter axaudiebant, inimicis etiam ejus non raro reverentibus eum. Ideo quæcumque voluit fecit, non enim omnium modo voluntatum dominus erat, sed quod est amplius, Dei ordinationes fideliter execundo, Deus vicissim ejus desideria complebat, scriptum est enim, quoniam *Dominus voluntatem timentium se faciet* (1)

(1) *Psalm. CXLIV. 19.*

Forte in contrarium quis dicat, incolumenā non potuisse temporalem custodire ditionem, vincum non nisi ægre extitisse et alia hujusmodi. Sed responsum in promptu est. Si res ista sit modo penitus humano consideranda *i*quis non videt Pium IX facilime potuisse vel hostes suos confestim arcere, vel postea illos a pontificiis statibus ejicere? Uno verbo oris sui catholici omnes, tamquam unus homo, ad defensionem ejus surrexisse: *i*quæ agnima tunc huic copiosissimæ turbæ obsistere potuisset? Omissis vero fictionibus, veritatem, confiteamur.

Pius IX divinarum ordinationum perfectus cognitor et obsequentissimus execuator inscrutabilibus Dei consiliis apprime se subdens, omnia pati maluit, quam in minimo Deo suo rebellis apparere: ideo obmutuit, et tamquam ovis ad occisionem ductus non aperuit os suum, intra se inimicis suis dicere contentus: *haec est hora vestra, et potestas tenebrarum*, (1) ad Deumque reversus: *sicut voluntas tua*. Si ergo aliquando de captivitate conqueri visus est, hoc minime ad suam ipsius personam referendum, sed ad Ecclesiæ capucinus jura fortiter tueri nunquam non destitit.

Non invitus igitur captivitatem, sed potius jucundus sustinuit, in mente habens, quia dignus habitus est pro nomine Iesu contumeliam pati; imo etiam mori paratus pro juribus Ecclesiæ tuendis saepè se ostendit, alte enim in corde hanc Apostoli sententiam retinebat: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditatem?*

(1) *Luc. XXII. 53.*

*tas? an periculum? an persecutio? an gladius?
sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit
nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque
Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia,
neque futura; neque fortitudo, neque altitudo, neque profun-
dum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate
Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. (1) Hoc et
verbo et exemplo satis patefecit. Cum eodem ergo Apostolo
dicere potuit: *Repletus sum consolatione, superabundo
gaudio in omni tribulatione nostra,* (2) et adhuc amplius:
Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. (3)*

Abs dubio, qui in captivitate ita se habet, pacem qua semper fruebatur, non amisit, vera pace affluit; minime vero ea quam mundus, sed quam Dominus ipse dat; illa, inquam, quæ exuperat omnem sensum, quæ nec dari potest ab hominibus, nec auferri, quæque vere beatum hominem constituit. Et quidem i nonne hanc placidam pacem continuo vultus ejus revelabat? i nonne quibus ille verba faciebat, illam communicare videbatur? Beatus ergo vir, qui timens Deum, tantam meruit pacem acquirere, quique in se tot honestatis fructus concessit: Vivat in æternum.

Sed i proh dolor! omnia quæ nos circumstant luctuosum eventum ostendunt. Nos modo Pii IX magnalia in memoriam revocantes, illum cernere, illum audire videbamur, vel

(1) *Ad Rom. VIII.*

(2) *2. ad Cor. VII. 4.*

(3) *Philip. I. 21.*

saltem sic in desiderio habuimus; forte solium ejus avide quæsivimus, attentas aures voci ejus parare curavimus; sed !heu! pro solio pontificio, funeræus tumulus nobis apparet, pro ejus voce paterna, lugubrem cantum percipimus: Ecclesiæ Sanctam plorantem, nullaque veste indutam conspicimus i quid est hoc? i vae nobis! illa vidua, nos orphani sumus relictæ. Pius IX mortuus est. mortuus est vir ille potens in opere et sermone, vir magnus coram Deo et omni populo, magnus in regno cœlorum, de cuius magnitudine omnes accepimus; vir ille beatus in timore Dei, cuius beatitudo, tamquam civitas supra montem posita, latere non potuit; vir cuius verba, cuius opera et flores fuerunt, et fructus honoris et honestatis, cuius memoria in benedictione erit, et cuius laudem enunciabit Ecclesia. Ploremus ergo et nos lacrymas nostras Ecclesiae lacrymis miscentes, et una cum illa fervidas ad Deum preces pro eo pariter fundamus, ne forte, quamvis illum in gloria esse Sanctorum spem habeamus, e vita discessurus, aliquid expiandum tulerit, et adhuc inter piaculaires flamas detineatur

R. I. P.

Amen.

